

Octávo Kaléndas Januárii.

Anno a creatiōne mundi, quando in principio Deus creávit cælum et terram, quínques millésimo centésimo nonagésimo nono; a dilúvio autem, anno bis millésimo nongentésimo quinquagésimo séptimo; a nativitate Abrahæ, anno bis millésimo quintodécimo; a Móyse et egressu pópuli Israël de Ægýpto, anno millésimo quingentésimo décimo; ab unctiōne David in Regem, anno millésimo trigésimo secúndo; hebdomada sexagésima quinta, juxta Daniélis prophetiam; Olympiade centésima nonagésima quarta; ab urbe Roma cóndita, anno septingentésimo quinquagésimo secúndo; anno Impérii Octaviáni Augústi quadragésimo secúndo, toto Orbe in pace compósito, sexta mundi ætate, Jesus Christus, ætérnus Deus æternique Patris Fílius, mundum volens advéntu suo piíssimo consecráre, de Spíritu Sancto concéptus, novémque post conceptionem decúrsis ménsibus (**hic vox elevatur, et omnes genua flectunt**), in Béthlehem Judæ Náscitur ex Mariá Vírgine factus Homo.

Hic autem in priori voce dicitur, et in tono passionis:

Nativitas Dómini nostri Jesu Christi secúndum carnem.

Quod sequitur, legitur in tono Lectionis consueto; et surgunt omnes.

Eódem die natális sanctæ Anastásiæ, quæ, témpore Diocletiáni, primo diram et immítem custódiám a viro suo Público perpéssa est, in qua tamen a confessóre Christi Chrysógono multum consoláta et confortáta fuit; deínde a Floro, Præfécto Illýrici, per diútinam custódiám maceráta, ad últimum, mánibus et pédibus exténsis, ligáta est ad palos, et circa eum ignis accénsus, in quo martýrium consummávit in ínsula Palmária, ad quam una cum ducéntis viris et septuagínta feminis deportáta fúerat, qui váriis interfectiōnibus martýrium celebrárunť.

Barcinóne, in Hispánia, natális sancti Petri Nolásci Confessóris, qui Fundátor éxstitit Ordinis beátæ Mariæ de Mercéde redemptiōnis captivórum, ac virtúte et miráculis cláruit. Ipsíus autem festum cólitur pridie Kaléndas Februárii, jussu Alexándri Papæ Séptimi.

Romæ, in cœmetério Aproniáni, sanctæ Eugéniaë Vírginis, beáti Martýris Philíppi filiæ, quæ, témpore Galliéni Imperatóris, post plúrima virtútum insígnia, post sacros Vírginum choros Christo aggregátos, sub Præfécto Urbis Nicétio diu agonizávit, ac novíssime gládio juguláta est.

Nicodemíæ pássio multórum míllium Mártyrum, qui cum in Christi Natáli ad Domínicum conveníssent, Diocletíanus Imperátor jánuas Ecclésiæ claudi jussit, et ignum circumcírca parári, tripodémque cum thure præ foribus poni, ac præcónem magna voce clamáre ut qui incéndium vellent effúgere, foras exírent et Jovi thus adolérent; cumque omnes una voce respondíssent se pro Christo libéntius mori, incénso igne consúmpti sunt, atque ita eo die nasci meruérunt in cælis, quo Christus in terris pro salúte mundi olim nasci dignátus est.